

PRÆFATIO.

Ienta, gravidam, inque summo pretio habendam. Quæ nisi novissime eluctata esset in lucem, inque omnium versaretur manibus, nec per similem *Jo. Tob. Majoris* operam annotationibus suis sub earum finem annexam, compensaretur, huic, quod commendamus, operi, cum singulari fructu potuisset adjungi. Qui vero in hoc, quod nunc producitur volumine comprehenduntur Commentarii, præcipuos nostræ partis Theologos agnoscunt auctores. Erat enim *Daniel Arcularius* Academiæ Marpurgensis, dum illa Lutheranis adhuc partibus dita erat, integro abhinc, & quod excedit, seculo clarissimæ celebritatis doctor, alio etiam in *Esaiam* commentario a se conscripto, Arca item federis, seu methodica universæ Theologiæ explicatione inter eruditos notus. Cujus etiam quædam meletemata in primo se cundoque Disputationum Marpurgensium Tomis exhibentur. In hujus autem præfatione *Jo. Winckelmannus* eundem hoc encomio mactat: *venerandus & vere pius ac eruditus vir, cuius sancta anima nunc in abscondito faciei DEI, in cœlesti inquam tabernaculo, ab omni hujus vitæ inquietudine, hominum insultatione & linguarum contradictione liberata quiescit.* Ad contentiones digitum intendit, quæ a Calvinianis nostræ partis Theologis ei excitabantur, Landgravio ad Reformatorum sacra animum tum applicante. Dictaverat autem *Arcularius* hanc Actorum exegesin auditoribus suis ad calatum, quæ demum post obitum illius a successore ipsius, *D. Balt. Menzero*, anno MDCVII. publici juris facta est, cum judicasset, publicum eam testimonium esse posse ejus doctrinæ, quæ in scholatum Theologica sonuerit, & quod ita videret conformatam, ut docentibus & discentibus in Ecclesia & schola Christiana magno usui esse posset. Ita in Epistola Dedicatoria *Menzerus*, in qua *Arcularium* vocat virum singulari pietatem & industriam omni commendatione dignissimum. Quamquam vero jam ante *Arcularium* operam quandam in interpretandum Actorum librum posuerint *Spangenbergius*, *Hegendorfinus*, *Justus Jonas*, *Erasmus Sacerius*, *Jo. Brentius*, *Lucas Lossius*, *Selneccerus*, *Lucas imprimis Osiander & Matth. Flacius* & forte ex nostra Ecclesia alii, id tamen, quicquid est, pro indole istorum temporum, Notularum potius quarundam, quam commentariorum vicem sustinere poterat. Primus it que *Arcularius* fuit, qui justam totius textus dispositionem, considerationem circumstantiarum, verborum connexionumque pondera, una cum doctrinis ad Christianæ vitæ cum notitiam salutarem tum præxim faci-